

canonum non meminisse asserit, nisi forsan cogitatur canon quidam Apostolicus, de cujus, ut cæterorum etiam auctoritate quid sit sentiendum, cum sit tritissimum, hic nihil repeto. Id satis constat ex historiis horum temporum, a Romana seu Latinorum Ecclesia illis canonibus ex templo esse contradicendum, non solum, ut jam erant Pontifices Romani insolentissimi accepto a Phoca oecumenici titulo, quod Patriarcha Constantinopolitanus æqvaretur Romano, sed quod studio quodam in adiaphoris, id quod accidit animis invidia æstuantibus, Græci Latinis se opponerent, & quæ improbanda in his non erant, in pejorem partem interpretarentur. Res adeo est manifesta, ut non egeat probatione. Videamus tamen canones aliquos, & clausulam pariter jam modo laudati illius, & fastidium Græcorum in Latinos e rebus præcise non culpandis comparebit. *Canon LXIV.* ita tenet. *Si quis clericus inventus fuerit diem dominicum jejunans, aut Sabbathum, præter unum solum, deponatur; si autem Laicus fuerit, excommunicetur. Sed Latini fere omni die Sabbathi jejunant.* Tales alii reperiuntur, *LXVII,* qui aliis est *LXIII,* hanc habet clausulam; *Sed constat, quod Latini talibus indifferenter vescantur.* Neminem non videre existimo, trito hæctenus inter Græcos mori stimulos addidisse odium in Latinos, ad condendum talem canonem qui, ut libertati pariter amorique proximi adversabatur, non potuit non adversarios nancisci. Inde recte *Surius in concil. opere,* ab occidenti Ecclesia illum canonem non receptum asserit. Antehac enim Latini Doctores supra explicati, morem Christianorum ex consilio Apostolorum usitatum calumniis gentium opponebant; superatis autem calumniis, & nunc vertente more pro libertate recepta in legem & necessitatem, defendenda erat libertas & mos antiquandus seu abrogandus, & cum more antiquando obrogandum canonem Græcorum a Latinis. Ita intelligunt antiquationem *Legis Binius & Baronius,* & hic quidem *de Sergio Pontifice: Pontifex, quod contra veritatem Canones temeraria plura habere, comperiisset, ipsos nequaquam confirmandos* (quæ vox fastum Roma-

Roma-